



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Ansbertus Episc. 9. Februarii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**



quis Christo non maledixisset, in virtutis scenam protracta est. Et sanè præclare personam sustinuit Christianam, quippe cui ore citiùs omnes, quibus ætas provecta in eum diem pepercerat, dentes, quàm Christus, evulsi. Quid agitis manus carnificum? fortem esse APOLLONIAM excussi dentes, & fractæ malæ loquuntur; ad majora tormenta provocate, nihil humile tam alta spondent principia. Ecce rogos ingens succenditur, crepant flammæ, furit populus, minantur lictores aut Christum abjice, aut in ignem abjiciere APOLLONIA. Quid hinc illa? paululum apud animum suum, quasi consultans, subsistit; mox bulliente jam sanctiore sub præcordiis igne, non morata tortores, generoso ausu ipsa involat in flammam, è flammis ad cælum evolat. I. nunc Scævola fortissime Romuli nepotum: Manus tuæ miraculū rogos hujus virginis extinxit. *Ex Surio.*

*Si quis hoc dictum corde frequentaret, O Domine quando te diligam! citiùs se sentiret experimentaliter inflammari, quàm si de secretissimis celestibus, & æterna generatione, vel processione millies cogitaret. S. Bonavent. in Theol. Myst. Q. ult.*

S. ANSBERTUS EPISC. 9. Februarii.

**N**ON vidit splendidior gemmam Clotarii regia, quàm ANSBERTVM adolescentem Superis juxtà & hominibus charum. Et verò invidit jam tum Clotario Ephebum Deus, & in suam traducere aulam laboravit. Sed & huic pulchrius regiâ cælum arridebat. Quare sponsam, quam habebat nobilissimam, lubens volens, cum ita ipsa etiam vellet, Christo cessit; ipse, rarissimo miraculo, monachus in aulâ vixit, & his ipsis, quibus perire  
alios



10. Feb.

alios videas, ad meliora sanctè abusus est. Certè cum cantus regiam perstreperent, interque modulus dulces dulciores luderent fides, ab his animum ANSBERTVS advertisse ad cælestem musicam perhibetur haud paulò meliorem. Itaque aliis levi pede terram obeuntibus, ipse cælos rectius obibat. Illud credo dices: ergo pietas etiam aulam habitat? Rectè. quòd tamen minùs secura hanc habitat, ANSBERTVS deinceps habitare cœnobium instituit, Abbasque, mox Episcopus Rothomagensis, potiùs inter mendicabula degere. In eum finem Xenodochia complura ædificavit, mensam ipse stravit, convivis suis conviva assedit, eodem & disco, & cibo usus. Jam ne dubites virtuti hostem aulam esse, à Pipino in exilium est pulsus, & maluit ille revocatus morte patriam prævenire. In defuncti brachio Crux visa est rubere, ipse etiam, cum velum injiceretur, oculos aperuisse, ut jam orbis vivum virtutis exemplar etiam in mortuo haberet. *Sur. & Mol.*

*Pias aures Domini ad te fleete; lacrymis & suspiriis pro tuis excessibus illum clementer exora; atque canticis spiritualibus illum glorifica: nihil enim magis supernis civibus spectare libet, nihil regi summo jucundius exhibetur. S. Bern. l. med. c. 6.*

S. GUILIELMUS CONF. 10. Februarii.

INGENTIA scelera GVILIELMVS pari pœnitentiã plectere instituit. Conjugio fraternæ conjugis Herodi non impar cœnabat unus, quod octonis in cibum sufficiebat. Ad duella non invitabat sed cogebat obvios, neque jam Ducem se Aquitanix putabat, nisi factionis quoque quæ contra Innoc. Pont. pugnabat, dux esset. Mellea verba Bernardus  
ingesse-